



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quæ in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Qvæstio X. In Tit. X. De His, Quæ Fiunt A Prælato sine Consensu Capituli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

QVÆSTIO X.

IN TIT. X. DE HIS, QUÆ FIUNT A
PRÆLATO SINE CONSENSU
CAPITULI.

880 **C**Um in præcedentibus titulis dictum sit, quid possit, vel non possit Capitulum Sede vacante circa jura Episcopalia, vel prælati; sequitur dicendum, quid possit, vel non possit Prælatum cum, vel sine Capitulo. Not. autem, quod Episcopus, vel Prælatum Ecclesiæ quandoque solum obligetur in certis casibus requirere Consilium; in aliis autem consensum Capituli.

ARTICULUS I.

In quibus actibus Prælati Ecclesiarum indigeant consensu Capituli?

881 **S**uppon. actum à Prælato celebratum, sine consensu Capituli, ubi is de jure, vel consuetudine requiritur, invalidum esse; constat ex c. 1. *h. t.* ibi: *irrita erit Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ, absque collaudatione, & subscriptione Clericorum.* Dicitur autem consensus requiritur 1. in alienatione rei Ecclesiasticæ immobilis, vel etiam nobilis pretiosæ, quæ servando servari potest, c. 25. *in cip.* Sine exception. 12. q. 2. c. 1. *h. t.* quod expressè loquitur de donatione, venditione, commutatione; & requirit non tantum consensum, sed etiam subscriptionem Capituli; & consensus Capitulariter præstandus est, ut notat Barbosa *cit. num. 4. V. hic. num. 164.*

882 Requiritur 2. ad actum præsentationis Clerici pro beneficio vacante, Patronatu ad Prælatum, & Capitulum cumulativè pertinente, ex c. *Ea noscitur. 6. h. t.* ubi Coelestinus III. cum in provincia tua, inquit, sæpe contingat, quod ad Ecclesias, in quibus collegia jus præsentandi habere noscuntur, eorum Abbates, aut per se, aut per literas, personas idoneas Episcopis Diocesis præsentant, & eis præsentatis, & receptis, aliquando antè, aliquando post, Monachi contradicunt: *respondemus, quod in præsentationibus Prælatorum*

intelligi debet, quod fiant de Collegiorum suorum assensu, sine quo non obtinent firmitatem; unde, si consiterit, Conventus, vel majoris, & Sanioris partæ, non adfuisse consensum, institutiones hujusmodi convenit evacuari, nisi ex antiqua, & approbata consuetudine, vel concessa libertate, aliqui eorum probaverint, commissi sibi collegii non debere in Ecclesiarum, seu beneficiorum collationibus requiri consensum. Ex hoc textu deducunt aliqui, præsentationem ad beneficium, per solum Prælatum factam, absque majoris partis Collegii consensu, non esse ipso jure nullam; Sed per sententiam irritandam, alii verius censent esse ipso jure irritam, & sic ea verba, *convenit evacuari* explicanda sunt, ut sensus sit, *convenit vacuas pronuntiarì, ut constat ex c. novit supra. h. t.* & ideo ita tenet Sanchez in *Decal. tom. 2. l. 7. c. 14. n. 8.*

Requiritur 3. ex c. *Tua nuper. 8. h. t. 883* quando concedit jus patronatus alteri Ecclesiæ, licet in Ecclesia concessa ipse haberet jus Patronatus; Consultus enim Pontifex, utrum Episcopo, cum solo Archidiacono; præter assensum Majoris Ecclesiæ, Coenobiis, vel Ecclesiis Conventualibus, ad quas pertinet jus Patronatus, liceat conferre *perpetuo vacantes Ecclesias baptismales?* rescribit, quæstionis solutionem intelligi ex epistola Leonis Papæ, in qua legitur: *ne quis Episcopus, de rebus Ecclesiæ, quidquam donare, vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius tractatu atque consensu id eligat Cleri, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum.* Irrita enim Episcoporum donatio, venditio, & conventio rei Ecclesiasticæ erit, *absque conventia, & subscriptione Clericorum; concessiones autem Ecclesiarum, ad alienationes non est dubium pertinere.* Ubi nota non videri factis,

ris, quòd alienatio sit *utilis Ecclesiæ*, sed requiri etiam quòd *meliora proficiat*, ut clarum est ex ipso textu; & quidem, *indubitato*.

884 Requiritur 4. cum *in perpetuum* transferre vult, etiam consentiente Patrono, Ecclesiæ parochiales, earumque obventiones *in locum pium*; nam cum Episcopus Helienfis ab Innocentio III. quævisset, an Episcopo liceat, sine autoritate summi Pontificis, vel saltem sine sui Capituli voluntate, Viris religiosis conferre obventiones alicujus parochialis Ecclesiæ sustentatione Vicarii reservatâ? & cum Lateranensis Concilii statuta prohibeant Ecclesiis novam imponi vel augere veterem pensionem, an Episcopus valeat religiosis, consentiente patrono, totam Ecclesiam, vel de novo conferre aliquam portionem? breviter respondit Pontifex, quòd (salvâ constitutione Canonica, de concedenda piis locis quinquagesima portione) *neque primum, neque secundum* potuit facere Episcopus (nisi de licentia Romani Pontificis) *præter Capituli sui voluntatem*. De aliis porro casibus, in quibus Episcopi, & Prælati Ecclesiarum, pro certis usibus suæ jurisdictionis, indigeant *assensu sui Capituli*, partim ex dicendis colligi poterit.

885 Præter hæc not. 1. *Consilium & assensum* Capituli inter se differre; ad illud enim sufficit, *cum Capitulo consultare*, ac rationes, pro, & contra discutere, ac audire ejus super consultatis iudicio; *Consensus* verò, importat Capituli voluntatem super actu, de quò consultatum est faciendo, vel omitiendo; *consensus* enim propriè est actus, quo voluntas approbat sententiam tanquam sibi placentem, consultatione rationis iudicatam. Not. 2. *consensum*, alium esse *expressum*; alium, *tacitum*; quo aliqui etiam intelligunt assensum *præsumptum*; qualis est, si alienatio fiat à Prælato, sciente, & tacente Capitulo. c. 2. h. t. & ideo etiam dicitur *conniventia*. Not. 3. in hoc casu sufficere assensum Capituli, *etiam tacitum*; imò, & subsecutam ratihabitionem, c. Cum nos. 3. h. t. ibi: *certum est, de rigore juris concessionem illam non tenere, quam reclamante Capitulo, per prædecessorem tuum, constat, factam fuisse: nisi eam ratam postmo-*

dum habuisset; qui tamen casus est singularis, nam aliàs, quòd jure nullum est ab initio, ipso jure ratificari non potest, ut scilicet valeat à tempore actûs nulliter gessi. Coeterùm cursu 30. annorum *consensus Capituli*, in alienatione rerum Ecclesiæ, præsumitur intervenisse; Mascardus de *probat. conclus.* 416. num. 21. Dicitur autem *consentire Capitulum*, quando consentit major pars, ut constat ex tit. seq. & dictum est supra exc. 6. h. t. de quo num. 882.

ARTICULUS II.

In quibus actibus Prælati Ecclesiarum indigeant consilio Capituli?

Communis doctrina est, quòd *consili.* 886 *cum præcisè*, requiratur in illis actibus, in quibus non est magnum præjudicium Ecclesiæ; Sicut *assensus*, in rebus majoris momenti. Inter res *minoris momenti* est, instituire, destituere, confirmare, corrigere, aliaque negotia Ecclesiæ tractare, de quo Alexander III. ad Patriarcham Hierosolymitanum: novit, inquit, tuæ discretionis prudentia, qualiter tu, & fratres tui unum corpus sitis, ita, quod tu caput; & illi, membra esse probantur, unde non docet, reomissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti; cum id non sit dubium, & honestati tuæ, & sanctorum Patrum institutionibus contraire; innoluit siquidem nobis, *quod tu sine consilio fratrum tuorum Canonice S. sequestri, Abbatibus, & Abbatissas, & alias Ecclesiasticas personas instituis, & destituis, ideoque id auctoritate Apostolicâ prohibemus; & infra: nos enim tales institutiones, & destitutiones, carere decernimus robore firmitatis*; sic Alexander.

Deinde in c. Quarto. §. eod. sic loquitur: 887 Fraternitati tuæ mandamus, quatenus in concessionibus, & Confirmationibus, & aliis Ecclesiæ tuæ negotiis, *Fratres tuos requiras, & cum eorum consilio, vel sanioris partis eadem peragas, & pertractes, & quæ statuenda sunt, statuas; & errata corrigas, & evellenda dissipas, & evellas. Absentium quoque fratrum nomina, inscribi non sinas: quia*

quia talia munimenta sunt irrita, & falsa; & tu exinde quæstionem falsi poteris merito formidare.

888 Ex istis juribus plures deducunt, actus à Prælato factos *sine consilio Capituli*, carere firmitate jubi aliqui dicunt per ea verba (*firmitate carere decernimus*) denotari, privationem, & latam sententiam; sic Tiraquel. in *L. si unquam.* (de *revocand. donat. N. revertatur. num. 161.* & alii, deinde not. quosdam distinguere inter hæc: *de consilio*, & *cum consilio*; volentes primo satisfieri, *audito Capituli consilio*, esto non secuto; hoc est operatione illi non conformata: in secundo autem denotari celebrationem actus pertinere *cumulatim* ad Episcopum, & Capitulum, sic Garcia *de benefic. p. 5. c. 4. à num. 13.*

889 Not. 2. quando dicitur, *actum carere*

firmitate, factum sine Consilio Capituli, ubi hoc de jure requiritur, ad evadendam nullitatem sufficere, *si consilium Capituli auditur*, quin sequi sit necesse, nisi aliud habeat consuetudo legitima; nam, ut dicitur in *c. Non est 3. de consuetud. in 6. non est* (*dum tamen aliàs sit præscripta canonicè*) consuetudo, quam allegat Episcopus, probanda, quod in inquirendis, puniendis, & corrigendis subditorum excessibus, *consilium sui Capituli, requirere minimè teneatur*, neque hoc repugnat honestati, quando adest in contrarium, *rationabilis, & justa causa*, nec propterea, quod Prælati Consilium Capituli non teneatur sequi, frustra hoc auditur; quia, auditis Capituli rationibus, potest Prælati maturius deliberare; & si suadeant, rationabiliter mentem mutare.

QVÆSTIO XI. IN TIT. XI. DE HIS, QUÆ FIUNT A MAJORI PARTE CAPITVLI.

890 **T**ria hoc titulo exponenda sunt. 1. quid veniat hic nomine *Capituli*? 2. quæ censeri debeat *major pars Capituli*? 3. qualiter intelligendum veniat, *factum à majori parte Capituli, censeri factum à Capitulo*? Procedit autem hic titulus de actis Capituli, quæ pertinent ad negotia, quæ proprie sunt solius Capituli, prout habentis jura distincta à juribus Prælati, qui præest tali Ecclesiæ, Collegio, Communitati, vel Universitati.

ARTICULUS I.

Quid hic veniat nomine Capituli?

891 **C**ommunis responsio est, *Capituli*, nomine, frequentissimè, ac propriissimè venire Collegium Canonicorum, seu ipsos congregatos, juxta *c. Capitulum, de Rescript.* Coeterum accipitur pro Clericorum secularium, vel Regularium, qui cum suo superiore tanquam capite, constituunt unum corpus, seu communitatem cum jure tractandi negotia, quæ pertinent ad statum Ecclesiæ ipsorum; Canonici igitur, & Clerici, qui pertinent ad ejus-

modi coetum, Collegium, vel communitatem, dicuntur *Capitulares*, non tamen omnes, sed de jure communi *illitantium*, qui sunt in sacris, saltem subdiaconatu, prout habetur in *Clement. Ut ii. 2. de etat. & qualit. ord. præsciend. & Irid. sess. 22. de Reform. c. 4. ibi: quicumque in Cathedrali, vel Collegiata, seculari, vel Regulari Ecclesia divinis mancipatus officii, in Subdiaconatus ordine saltem, constitutus non sit, vocem in hujusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat, etiamsi hoc sibi ab aliis liberè fuerit concessum.*

Hoc decretum Concilii procedit in 892 omnibus actibus, qui *capitulariter*, hoc est, nomine *Capituli* expediri debent; Garcia *p. 3. c. 4. num. 25.* Deinde quando quis *ratione Canonice* vocem habet; non autem, *si alio jure*, vel *privilegio*, sic Portel in dubiis Regular. *V. electio. n. 6.* Illa autem verba in textu, *vocem in ejusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat*, accipienda sunt de voce *activa*, quæ simpliciter & absolute *vox* dicitur, non de *passiva*, sic Garcia *in addit. ad p. 3. c. 4. n. 15.* His addunt aliqui, quod, ut Archidia-

conus